Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 559
Quelle:
Copyright:

peregre defuncti *Epistola*, quam excipit in *Cod. Epitaphium* jam supra relatum.

VII. *fol.* 61. p. 2. *Incipit Liber de Conflictu Viciorum atque Virtutum. Sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi.* Initium: *Apostolica uox clamat per orbem. atque in procinctu fidei positis. ne securitate torpeant dicit* &c. Alias tributus *Augustino*, ut nobis *Codd.* pluribus. Omissus in edit. *Maur. Ambrosii*, in edit. *Augustini* legitur T. VI. *Append. col.* 219. duobus *Capp.* nostro prolixior, qui finit c. 26. his verbis: *et mihi adhuc magis stupenda narranti fidem prebeto.* Autor genuinus videtur *Ambr. Autpertus S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento* Abbas, ut ex *Admonit.* praevia *Maurianor.* diximus ad *Codd. supracit.* quos vide in *Indice.*

VIII. *fol.* 67. p. 2. *De Penitentia Salomonis* Dictum *Augustini, Hieronymi* et *Ambrosii. Cod.* CCCXLVI. adest etiam Dictum *Gregorii*, et Titulus: *De Salomonis Salute.*

CLXXXIX.

58 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 235. f. relictis Miniculatori literarum capitalium spatiis cetera nitidissime exaratus offert superstites XV. *Origenis Adamantii Alexandrini Commentariorum in D. Pauli ad Romanos Epistolam Libros, a Rufino Aquilejensi Presbytero X. Libris latine redditos*, contractos et suppletos. Praefationis *Rufini ad Heraclium* hoc est initium: *Volentem me paruo subuectum nauigio omnia* (oram) *tranquilli littoris constringere* &c. Post hanc: *Incipit prefatio domini origenis super epistolam beati Pauli apostoli ad Romanos. Quod cæteris apostoli Pauli epistolis difficilior putatur ad intelligendum hæc* &c. Ad calcem L. X. rursus habetur Rufini *Commendatio finiti Operis*, cui subjecta est rubrica literis quadratis: *Explicit Liber Decimus Explanationum Origenis in Epistola Sancti Pauli ad Romanos Rufino Translatore.* Origenem Libris XX. in hanc Epistolam commentatum fuisse tradit Cassiodorus, *Institut. divin. lect.* C. 8. Interpolatos hos aevo suo, et deesse fere apud omnium Bibliothecas aliquanta ex ipso corpore volumina queritur in *Praef. supracit.* Rufinus. Addidisse illum quaedam, breviasse alia ex *Commendatione* pariter *supracit.* discimus, atque hinc sibi a quibusdam objectum non diffitetur, cur Operi non potius titulum fecerit: *Rufini in Epistolam ad Romanos Explanationum Libri.* Sed, quod Rufinus noluit, Hieronymo ejus adversario postliminio obtrusum est. Prodierunt enim sub ejus nomine Commentaria nostra *Venet.* 1506. Rationes hujus erroris vide in *Praef.* T. IV. *Opp. Origenis Dom. Caroli Delarue. Paris.* 1759. f. cui Tomo ad *pag.* 458. Commentaria praedicta post Editiones *Jac. Merlini, Erasmi Roterodami*, et *Gilb. Genebrardi* insunt. De *Origene* et *Rufino* adi si lubet, *Hambergeri*

nostri